



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quæ fuerit secundaria causa malorum. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

mala, tanquam fructus malos: sed ipsam malam voluntatem unde dicit exortam, nisi ex bono? Si enim ex angelo: quid est angelus, nisi bonum opus Dei? Si ex homine: quid erat ipse homo, nisi bonum opus Dei? Immo quid erant haec duo antequam in eis oriretur mala voluntas, nisi bonum opus Dei, & bona & laudanda natura? Ergo ex bono oritur malum, nec fuit unde oriri posset nisi ex bono. Dico ergo, quia voluntatem malam nullum malum processit, sed ex bono originem habuit. Hic aper-te dicitur primam causam & originem mali, bona fuisse naturam. Et nihilominus ostenditur cuius peccati fuerit causa, scilicet, malae voluntatis.

*Quod mala voluntas secundaria causa fuit malorum. C*

Mala autem voluntas illa angelii & hominis, causa est etiam malorum subsequentium, scilicet malorum operum, & malarum voluntatum. Vnde Aug. in Enc. Nequaquam dubitare debemus, rerum bonarum quae ad nos pertinet, causam non esse nisi bonitate Dei. Malarum vero, ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, prius angeli, postea hominis: hoc primum est creature rationalis malum, id prima priuatio boni. Ecce habes primam voluntatem boni mutabilis, id angelii & hominis deficientem ab immutabili bono. id est, Deo, causam esse malorum rerum ad nos pertinentium: quia causa est tam peccatorum, quam paenarum, quibus premitur humana natura. Prima ergo origo & causa peccati, bonum fuit: & secunda mali, quod ortum est ex bono.

*In qua re sit peccatum, an in bona an in mala: & dicuntur, quia in bona tantum. D*

Ostensa origine mali, supereft videre in qua re sit malum, scilicet, an in re bona, an in re mala? Qui recte acuteque sapit, non nisi in bono malum esse intelligit, id est, in natura bona. Malum non est corruptio vel priuatio boni: ubi autem bonum non est, non potest esse corruptio vel priuatio boni. Peccatum ergo

*Cap. 23 in fin-*

*ne tomo 3.*

*Cap. 24. co-*

*tinuo in En-*

*chirid.*